



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Roberti Tvrneri Viri Doctissimi Professoris In Academia  
Ingolstadiensi Orationvm. Volvmen ...**

**Turner, Robert**

**Coloniae Agrippinae, 1625**

14. Ante disput. Theolog.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69519](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69519)

ROBERTI TURNERI  
ORATIONCVLA XIV. HABITA  
Romæ, à Ioanne Sailerò ante Disputa-  
tionem Theologicam.

**C**onatus est Satan, Auditores, Ecclesiam Christi  
variis tentare modis, iisque omnibus vafre, ut  
viderentur potuisse declinari; sed omnibus  
men infœliciter, ut Ecclesiam liqueat non humani  
consilio, sed diuina plane prouidentia cohærere: nam  
siue Ecclesie ipsum iugulum in Pontificia dignitate  
obterenda petierint tyranni, siue neruos in scripturis  
falsa quadam obducendis nube tanquam nitedula  
rosferint hæretici, siue ipsam mentem ac animam con-  
languoreque tabescentem infecerint fluxi mores: illud  
Deus suæ prudentiæ & prouidentie quibusdam qua-  
dam alis ita texit, ut quo grauioribus difficultatibus fuerit  
affecta, eo pluribus præfidiis cœlitus semper apparere  
firmata: at ne in antiquorum replicandis annalibus  
minuta nimis videatur nostra diligentia, hanc istius  
nostram ætatem inspiciamus, in qua si Ecclesie  
nunquam fuerint à Satana afflictæ grauius, à Deo ce-  
te constat eas nunquam fuisse munitas firmitus: cum  
eodem tempore sæuientium gladiis martyrum cõstan-  
tiam, hæreticorum fraudi doctrinam Catholicorum  
malorum flagitio puritatem bonorum, Dæmonis qua  
effusis inferorum carceribus, toti potestati, suam Deo  
prouidentiam, veluti castra singula singulis ex altera  
parte collocatis mirabili quadam descriptione oppo-  
suerit: quæ sane laus ita Dei tota est, ut primas proximo  
ac secundum Deum partes iure sibi in hac parte possi-  
vendicare Theologia: quippe quæ non solum Mar-  
tyres imbuit constantia ad contemnendos gladios  
doctrinæ

*Deus ab  
omnibus  
aduersi-  
tatibus  
Ecclesiam  
conseruat*

*Theolo-  
gia secun-  
dum Deum  
omnia Ec-  
clesie ad-  
uersa pro-  
peccantur*

doctrina Catholicos ad fraudem aperiendam, puritate bonos ad euellenda vitia, sed etiam, diuinæ prouidentia in perfringendis Satanæ viribus certam rationem & perfecte complectitur, & sola aperit: vnde profecto non tam dolendum est Satanam tot fraudibus hodie Ecclesiam oppugnare, sed potius perpurgare; quam gaudendum vnam Theologiam has omnes Satanæ fraudes facillime posse dissipare: quam tamen cum quidam (ne quid dicam grauius) male feriat Theologi multis falsarum interpretationum nubeculis conati sunt offundere, in eius recessus interiores ac penitiores Catholicorum acies tam penetrauit alte, vt illa profecto post homines natos, diuina sic agente prouidentia, altio rem gradum non videatur consecuta: nam siue inspiciamus Doctores, eos suæ mentes interpretes constituit Deus, qui vt nulli vnquam legantur aut Theologiam methodo vinxisse facilius, aut factis expressisse sincerius; siue Mæcenates intueamur, vnum habemus summum Pontificem instar omnium, qui ita diuinæ prouidentia munia dispensat, vt è cælo videatur missus ad Ecclesiæ partes agras, peneq; depositas suscipiendas: ac vt taceam qua cura orbis reliquas partes vndique disiectas atque diuulsas vno conetur charitatis fideiq; glutino copulare, ex hoc eius vno Collegio tanquam ex equo Troiano quot prodierunt, qui Theologiae ac morum imbuti puritate Germaniam nostram Lutheri pene veneno confectam salutari medicina si non sanarint, opportune certe refecerint. Quare cum ego hinc pro Collegij sancta institutione emittendus quoque sim breui in Germaniæ agellum placuit iis, quorum consilium apud me semper habuit, ac habere debuit imperij locum, vt quæ hic compararim Theologiae subsidia ad messem tam vberem ac necessariam, illa prius coram vobis humanitate peregre politis expromam libere: descendo ergo, Auditores, in hanc domesticæ disceptationis aream, non vt

*Heretici  
peruertunt  
Theologiam.*

doctrinæ, quæ nulla est, colligam opinionem, sed meorum maiorum obsecutus imperio periculum ciam mearum virium, quæ plurimum acquirunt roboris ac firmitatis ad hæreticorum ressecanda spineta, senientem dissipandam, si hodie vos fuerint expectant non tenuitatis suæ seueros iudices, sed conatus honestos beneuolos suffragatores.

## EIVSDEM GRATIARVM

ACTIO POST EANDEM

Disputationem.

ORATIO XV.

**Q**uod naucleris, confecta prospere longinqua navigatione, vsu saepe venit, vt in ipso portu illi scopulis, vel in vado hærentes naufragi faciant: id mihi ne hodie accidat, omni mentis profusione cauendum est: nam etsi lenis vestrae beneuolentia aura me hodie in hunc meorum studiorum finem tanquam portum foeliciter inuexerit, tamen in ipso portu timeo scopulos: at quos? en vobis, Auditorum multis vnum, eumq; periculosissimum. Cum ea fortuna, vt tribus sigillatim vnum me debeam totum Patribus Societatis Iesu, Gregorio Pontifici Maximo ac Deo Omnipotenti, nisi vni sic me totum tribuere hodie, vt reliquos duos me toto non priuem, subueni mihi profecto est, tanquam quoddam naufragium. grati animi foedissima nota: quid igitur faciam? porro fortasse vnam mei partem dispescere Patribus, Gregorio alteram: at qui hoc, cum Dei sim totus? at si datur Deus suo iure, ita vnam partem Gregorius, ita alteram excoluerunt Patres, vt singuli vtriusque curam maximam habuerint; vt profecto corpus non possit seponere Gregorio sine Patrum magna, nec Patribus animum sine Gregorij maxima iniuria: qui vndique scop

*Christiana  
naustribus  
omnia sua  
describat.*